Bibliothèque numérique

medic@

**CALZOLARI, Francesco / CALCEOLARI, Francesco / CALZOLARIS, Francesco.** **Iter Baldi civitatis Veronae pontis, quo mirabili ordine describitur montis ipsus, atque aliarum quarundam ipsum contingentium partium situs**

*Francfort sur le Main, 1586.*

BIUM

**(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)**
Adresse permanente : http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?07755x02

# ITER BALDI CIVITATIS VERONAE MONTIS, IN QVO MIRABILI ORDINE DESCRIBITVR MONTIS ipſius, atque aliarum quarundam ipſum contingentium partium ſitus.

*RECENSENTVR PRAETEREA quædam inſignes plantæ, ac herbæ ibi naſcentes, quæ vſui Medico plus cæteris conferunt.*

Recens in lucem editum

*Ab honeſtiſſimo viro* FRANCISCO CALCEOLARIO *Veronenſi Pharmacopola, in Campanæ aureæ officina.*

Francofurti ad Mœnum.
M. D. LXXXVI.

# CLARISSIMO DOMINO PETRO ANDR. MATTHIOLO SENENSI, SERENISSIMI PRINCIPIS FERdinandi *Archiducis Auſtriæ, &c. Conſiliario, atque Medico primario,*

Franc. Calceolarius Pharmacopola Veronenſis, S.P.D.

OPVSCVLVM *meum, quod antea Italico ſermone edideram, tibi Latinum factum (vt petis) mitto, cum tuo de plantis compendio in lucem edendum: ſiquidem communi hac lingua nunc conſcriptum, omnibus in Europa nationibus tuo auſpicio facilè innoteſcet, cùm tuæ mirifica monumenta per vniuerſum ferè orbem circumferantur. Etenim non in Italia ſolùm, ſed apud cæteras nationes, tante tu autoritatis extas, tamq́; latè tua fama, nomenq́; diffunditur, vt nedum libri de materia medica, ſed & cuiuſuis generis deſcripti, merito tibi dicari, & nuncupari poßint, quòd à tuo tantum clariſſimo nomine facilè protegantur. Acceßit etiam; vt hoc tuæ authoritati voluerim commendatum, illa iam diu animo inhærens meo tuæ in me beneuolentiæ opinio, tot experimẽtis tuorum in me officiorum comprobata: quæ quidem me inducit ad credendum, opuſculum hoc meum non ſolùm tibi carum futurum, ſed tuo patrocinio apud omnes ſtudioſos, & bonos viros non modicam gratiam initurum. Commodum ſanè (vt ſcribis) huic libello in tuo de plantis Compendio futurum eſſe locum non diffido: nam ad medicam materiam re ipſa cognoſcendam, non parum afferet commoditatis, atque etiam quaſi comitem præſtabit, quo plantarum ſtudioſi in montem illum ſtirpium ferè fœcundißimum ducantur, illasq́; certis locis reperiant. Siquidem ab vrbe in montem cunctas ipſius itineris partes explicat, & quo commeatu in eo perficiendo ſit opus. Locaq́; omnia ſpeciatim oſtendit, in quibus diuerſarum plantarum genera vireſcunt, ac florent, hac tamen ſerie, vt copioſiores tantum eorundem locorum ſtirpes cõnumerentur, ne cùm plura genera eodem in loco oriantur, ſtudioſorum ingenia confundant. Quod verò copioſius reperitur, id locum ſibi vendicabit, eiq́; nomen tribuet, & noſtram conſiderationem ad ſe conuertet. Præterea cùm plura loca iiſdem plantis abundent, is modus deſcriptioni adhibebitur, vt eo adnotato, qui prius in itinere obuius fuerit, cætera deinceps prætereantur: ni ſint aliquæ præſtantiorum fortaſſe generum, de quibus ob earum dignitatem, meminiſſe oporteat, in quocunque habeantur loco; alioqui quantum poſſumus breuitati ſtudebimus. Vtinam verò de cæteris montibus, atque locis, qui plantis raris, & mirificis abundant, ſimiles extarent hiſtoriæ, quæ non ſolùm indagatores ad loca illa perluſtranda animarent, ſed iter oſtenderent, ac materiam medicam tot difficultatibus plenam ſuæ priſtinæ claritati, te duce, reſtituerent. Namque tuis doctißimis commentariis theoriam continentibus, inſtructi homines diſcendi cupidi, ad alteram partem in ſcientiis omnibus neceſſariam, nempe experientiam ipſam, facilius ſeſe addicerent: cuius in plantarum notitia primas partes eſſe tu bene noſti: qui illam tam diligenter adhibueris: Optarem ſane cæterarum eiuſmodi regionum, poſſe me tibi hiſtorias conſcribere tuo ipſius compendio alioqui numeris omnibus abſoluto adnectendas. At verò id à me ſcio non requires, quod præſtari ab vno homine non*

*nè non poſſit: quare velim, vt animi mei propenſam erga te volantatem (vt tua eſt humanitas) gratam ſuſcipias: cupio enim pro virili modis omnibus, tibi ſemper gratificari. Cæterùm Baldus mons non modico ſimplicium medicamentorum numero refertiſſimus eſt: in quibus ego conquirendis, examinandisq́ non mediocres impendi ſumptus, atque labores, doctiſſimis ſemper ac peritiſſimis viris adiũctus. Inter quos fuere Iulius Moderatus, Antonius Tolomeus, Aloiſius Anguillarius, Vlyſſes Aldrouandus, & alij complures in Academijs Italicis ſtudioſi. Prætere am præclàriſſimos illos ſenes Hieronymum Fracaſtorium, & Lucam Ghinum, qui (quicquid in hac ſcientia profecerim) mihi autores, ducesq́ extitere. Taceo Excellentiſſim. Monteſaurum, Iulianum Fumanellum, & alios præſtantiſſimos huiuſce ciuitatis medicos, qui tantum laboris per inuia, asperaq́ ipſius montis loca, quandoque mecum ſubire non ſunt grauati, vt varios ac mirificos naturæ effectus in plantis contemplarentur. Quibus non minus grata fuit mea herbarum obſeruatio, quàm mihi illorum de plantis doctrina iucunda, adeò vt iam poſſim multa de rei plantariæ controuerſijs in medium proferre, atque ex ſententia determinare, quæ breuitati ſtudens & vitandæ arrogantiæ cauſa prætermittam: quamuis (proh dolor) hoc tempore à quocunque vix in re plantaria tyrunculo hoc iam vſurpetur, vt vel peritiſſimis contradicere audeat ignarus quiſque. Huius autem Libelli formæ tanquam cuiuſdam catalogi earum omnium plantarum erit, quæ in celeberrimo hoc monte reperiuntur: ſuis locis particulatim deſcriptarum, vt cuilibet aditus, & luſtratio locorum omnium, atque herbarum inuentio facile pateant. Erit igitur in tuo hoc ſtirpium compendio ſatis congruens, quoniam illi plantas communiter exponenti ac figuris veras imagines oſtendenti, loca inueniendarum illarum deſcribens, tanquam famulus erit atque miniſter. Quinetiam commodiſſimè in tam præclaro herbarum omnium volumine, facilè hoc exiguum meum poterit illuſtrari, atque à calumnijs omnibus quæ aliquam poſſe videntur caliginem obducere, tueri: vt non minus hæc loci mihi facta liberalitas, conceſſio, atque tutela cara ſit futura, quàm hæc mea voluntas tibi in hoc miniſterio tuis ſcriptis ſuggerendo grata. Bene vale.*

*Veronæ Idibus Februarij,* M. D. LXXI.

PETRVS

Iter Baldi civitatis Veronae pontis, quo mirabili ordine describitur montis ... - page 3 sur 27

# PETRVS ANDR. MATTHIOLVS SENENSIS MEDICVS,

## Franc. Calceolario Pharmacopæo Veronenſi. S.P.D.

QVOD *iam diu deſideraſti compendiũ à nobis conſcriptum de Plantis omnibus, de quibus diffuſè ſatis in commentarijs noſtris in Dioſcoridem meminimus, in eorum ſtudioſorum uſum, qui indagandis, noſcendiſq; legitimis ſimplicibus nauant operam, iam pridem abſolui, ac propediem typis excudendum mittam. Quamobrem tuũ opuſculum quod de itinere è Verona in Baldum montem omnium ferè fama percelebrem, & plantarum refertiſſimum ad me miſiſti, illi ſtatim adnectendum curabo. Scio enim me hoc tuo libello apud multos bonos viros beneuolentiam longè maiorem initurum, ſi etiam præter deſcriptas plantas, locum oſtendam vbi eæ copioſiſſimæ ac non vulgares inueniantur. Cæterum id magis eos, & tibi, & mihi beneuolos reddet, quod in ipſo tuo opuſculo nõ ſolùm itinerandi normam tradideris, ſed vniuerſas quoq; plantas deſcripſeris, quæ vnicuiq; montis ipſius loco ab imo ad ſummum gradatim enaſcũtur. Erit enim hoc omnibus adeò gratum, vt vbi ſenſerint te ab inuidis morderi, exiſtimationem tuam, probitatem, ſynceritatem, atq; doctrinam modis omnibus tuebũtur, ita vt tibi honori, et ſtudioſis vtilitati libellus iſte tuus ſit futurus, præſertim cum me ipſum habeas promotorem, ac defenſorem. Scio enim abs te non ſolùm meamari plurimum, ſed præ cæteris etiam obſeruari. Ego verò vt de mea in te propenſione, ob tuarum, nempe ſynceritatis, fidei, ſolertiæ, peritiæ, diligentiæq; meritum aliquid dicam in obtrectatorum tuorum cenſuram: admiror ſanè quàm maximè valeas in componẽdis abſq; omni fraude medicamentis, & ijs præſertim, quæ à clariſſimis olim medicis magnis Imperatoribus parabantur, vt latius & diffuſius in commentarijs noſtris in Dioſcoridem, de tua admirabili Theriaca libro ſexto præfati ſumus. Scio tamen meis laudibus ibidem conſcriptis, & tibi, & mihi inuidos complures comparatos, qui aliorum virtutibus inſidiantur. At cùm inuidia virtuti perpetuò ſeſe opponat, & tandem inuidos ipſos quodam veluti maraſmo conficiat, eorum maledicentiam minimè curare debemus. Scio ego non deeſſe pharmacopæos, non in Italia ſolùm, ſed in alijs quoq; exteris regionibus, qui legitimorum ſimplicium peritiam habent, & in componendis, parandiſq; medicamẽtis exercitatiſſimi ſunt, adeò vt poſſint rectè & Theriacam, et cætera generoſa antidota parare: de quorum laudibus poſſem quoq; multa ſcribere ſi mihi cum ijs perinde ac tecum intercederet conſuetudo, & medicamentorum, quæ ab ijs parantur, certam aliquam haberem notitiam.*

*titiam. Sed cum id haud mihi fateri liceat, ăliȷs eorum laudes deſcribendas relinquo, & te præ cæteris laudandum, promouendumq́ mihi proponam: ſeruata tamen cæterorum ſama, fide, peritia, ac ſedulitate. Cæterùm ſi quis (quiſquis ille fuerit) de mea fide dubitauerit, tutus ad te accedat, tecum loquatur, tuaque omnia videat & examinet, non tamen malignis, ac diſtortis oculis, ſed claris & apertis. Hoc ſi fecerit, cognoſcet quidem apertiſſimè, non immeritò à Matthiolo laudari Calceolarium, & eius antidota præ cæteris commendari. Intrent penetrentq́, qui ſelectiſſima omne genus medicamenta noſcere, ac manibus tractare cupiunt in tuum Muſæum; in quo prætioſa, ac rara recondis. Apertum enim illud inuenient (quæ tua eſt cum omnibus liberalitas) & te ad omnia videnda oſtenſorem habebunt. Quid dicēt cùm viderint, quæ ego vidi, Et probaui apud te tantum? Mirabuntúrne? profectò mirabuntur, & præ ſtupore obmuteſcent. cum inſpexerint Coſtum, Amomum, Aſpalatum, Calamum odoratum, Folium, & quod magis mirum eſt, etiam Opobalſamum. Videbunt præterea foſſilium complurium varia genera, ipſaq́ admodum rara, & permulta quoque naturæ miracula, nempe plantas animaliaq́ in lapides multiplices verſa, & alia non minus monſtroſa, à te adeò diligenter aſſeruata, & in ordinem digeſta, vt omnes, qui tă rara tamq́ præcioſa monumenta inſpexere, ſummoperè ſtupeant. Taceo rara admodum animalia, quæ inibi ſummo artificio arefacta ſpectantur. Taceo peregrinas, & nouas plantas, fructus, radices, ſemina, quæ è remotiſſimis terrarum locis delata ſunt, ne maiorem tibi inuidiam pariam. Quæ omnia magno ſumptu, & labore tibi comparaſti non tam lucri faciendi cauſa, quàm iuuandæ Reipublicæ, & famæ conſequendæ deſiderio. Prætereo quoque, quæ in tuo Myropolio mirifica aſſeruas antidota. Theriacam, inquam, iam omnibus celebrem, Mithridaticam antidotum illam regiam, atque antidotum etiam illam noſtram, & noſtrum de Scorpionibus oleum, quæ tibi & mihi tam diligenter, fideliterque paraſti, vt nihil addi poſſit. Præclarus es pharmacopæus. præclarus, & acerrimus ſimplicium indagator, ac cenſor, cur ergo curas vitilitigatorum inſidias? Velim omnino ne cures, cùm tibi nihil officere queant. Non deſunt tibi (mihi crede) medicæ materiæ periti, qui ſua tantum autoritate te ipſum, & tua omnia tuebuntur. Scio ego non deeſſe eruditiſſimos medicos, quibus ex commentariorum noſtrorum lectione ingens tua probitas, ac in parandis Antidotis peritia innotuit. qui confectis difficillimis, ac longis itineribus ad te profecti ſunt, nō modo vt te de facie cognoſcerent, ſed vt à te veluti ab Andromacho, & Galeno, Theriacam, & alia complura generoſa antidota conſequi poſſent. Inter quos licebit mihi nunc hic cōmemorare Ioan. Baptiſtam Nocetum Pōtremolenſem & Ioan. Baptiſtam Oliuū Cremonenſem Medicos ſanè ac viros, ſingulari doctrina illuſtres, & materiæ medicæ peritos, qui ſuis literis ſe multū mihi debere faſſi ſunt, quòd ex cōmenta-*

*Sss* *menta-*

mentarijs noſtris illis innotueris, te inuiſerint, & præclariſsima antidota abs te acceperint. Taceo laudes, quibus multis encomiis te proſequuti ſunt, & quæ de his, quæ apud te viderunt, enarrant. Miranda enim ſunt quæ de te ſcribunt, ac de tuorum medicamentorum miraculis. Prætermittam & ego quoque, quæ de mirificis Theriacæ tuæ operibus dici poſſent, quod tamen non facerem niſi id prius in commētariis noſtris in Dioſcoridem præſtitiſſem. Quin etiam cùm Antidotus ipſa iam vbiq; de ſe, ſuaq; ipſius præſtantia dicat, loquatur, & prædicet, non eſt vt de ea plura præfari contendam. Hoc tantum addam, neſcire Matthiolum, vbi ei parem adinueniat. Facinus eſſet magnum ſi ea velim in hominum vſum promouere, quæ ſcirem non carere impoſturis, vt quidam fortaſſe faciunt. Quin etiam haud minus facinus eſſet, ſi quæ ſcirem ad conſeruandam tuendamq; hominum vitam profutura, eadem non promouerem, & laudibus non commendarem. ſed ne longius tuas proſequar laudes, & ne tam amplo meæ in te beneuolentiæ animo inuidorū aures obtundam, cætera tacere decreui, de quibus præclariſsimi Medici Veronenſes, qui omnibus ferè horis tecum verſantur & viuunt, longè molius ac diffuſius quàm ego teſtari poterunt. Tu verò, vt ſemper ſoles, diligenter cura, vt antidotum & oleum noſtrum de ſcorpionibus contra venena, & virulentorum animalium ictus, quorum parandi rationem in commentariis noſtris deſcripſimus, ad finem deducantur. Si quidem tametſi Romæ non deſint, qui hæc iam paſsim parent in multorum Heroum gratiam, & vſum, ſunt tamen eorum plerique, qui ſæpe ſuis literis ad me datis antidota ipſa à me petant; quod ſibi omnino perſuadeant, quæ à noſtris prodeunt manibus cæteris fore præſtantiora. Bene vale. Tridenti, Idibus Ianuarij. M. D. LXXI.

ITER

# ITER BALDI MONTIS,

## FRANCISCO CALCEOLARIO VERONÆ IN OFFICINA CAMPANÆ

*aureæ Pharmacopola Auctore.*

BALDVS Mons in Italia celeberrimus in faucibus alpium quibus Rhetia ab Italia diuiditur, altiſſimus, latiſſimusque reſidet, in ipſis Veronenſis, & Tridentini agri confinibus. Hic itaque cacumen ad ſydera extollens, cæteros vicinos montes altitudine ſuperat, atque excellit, adeò vt amœnitate, ſitu, pulchritudineque non ſit quouis altero inferior. Radices habet, qua Solem orientem ſpectat in Atheſis fluminis littore: qua verò ad occidentem in amœniſſimis Benaci oris. Ab Auſtro deinde campeſtrem quandam planitiem, & ab Aquilone alios alpium montes contingit. E cuius ſummo iugo magna cum luſtrantium voluptate atque admiratione à ſiniſtra parte furibundum ſpectatur flumen, quod à præruptis & altiſſimis ſcopulis erumpens, per anguſtum admodum, & anfractuoſum iter rapidiſſimo curſu deſcendit ad valles. Ex aduerſo autem latere humiliores viſuntur colles, & fertiliſſimæ quoq; valleculæ, quas maxima campeſtris antecedit planities, ſpacioſa admodum, æqualis, inculta tamen & nulla arbore impedita, adeo vt planè mare latum repræſentet. Huius ſecundum latus Atheſis flexuoſo itinere permeat, qui quamuis magnus ſit fluuius, ob diſtantiam tamen è ſummo montis vertice proſpicientibus paruus riuus apparet, & in ciuitatem ingredi cernitur. Viſitur & Ciuitas ipſa Veronæ, adeo, vt eius ſitus, forma, ædificia, ambitus totus, ac queque eiuſdem partes diſtinctè ac particulatim internoſci queant. Quod ſi contigerit cœlum perſpicua ſerenitate clareſcere, vniuerſa agri Veronenſis planities liberè perſpici poteſt. Viſuntur quoque vicinę vrbes, & oppida, quæ adeò lucidè inſpicientium oculis apparent, ac ſi Belgici pictoris penicillo, omni cum arte, ac venuſtate, aliqua in tabella, aut potius linteo depicta ſpectarentur. Ab altera verò parte Benacus occurrit Lacus, qui quamuis ſex milia paſſuum diſtet, adeò tamen vicinus, ob culminis altitudinem videtur, vt ſi quis velociſſimo curſu, minimè ſibi temperans deorſum contenderet, exterrefieret quidem, veritus ne in eum collabiturus irrueret. Spectantur hinc circum lacum ipſum horridi admodum, ac inacceſſi montes, ſaxeæque crepidines, ac rupes, ſcopuli eminentiſſimi ac nudi: propius verò non procul à littore amœniſſimæ videntur oræ oleis, & myrtis refertæ: quin & virentes colles odoratis, ac denſis admodum lauris veſtiti. Pagi quoque multi, atque oppida. Inſulæ, Peninſulæ, nauigationes, piſcationes, vndę iamiam placidiſſimæ, mox in altum elatæ: littora fremere, nauigantes ad portus properare ex ipſo montis iugo cernuntur. Præterea, quod fortaſſe nonnullis mirum videbitur, ſereno in montis cacumine exiſtente Cœlo, paulò tamen inferius denſiſſimis nubibus obſcuro, non ſolùm tonitrua horrenda, corruſcationeſque quandoque fiunt, ſed & grandines, & pluuiæ impetuoſo admodum bom-

bo,in ipſum decidunt lacum, non ſine magna nauigantium iactura. Quæ quidem omnia tam pulcherrima, admiranda, delectabiliaq; ſpectacula faciunt,vt præ ſtupore nónulli veluti attoniti fiant. Quemadmodum enim nullus ſpectantium oculus horum proſpectu ſatiari poteſt, ita nec lingua reperiri,quę omnia rectè narrare ac exprimere poſſet. In ipſo autē monte tanta eſt locorum, & rerum varietas,quòd prorſus longū foret omnia ex ordine recenſere. Sunt enim valles ex puro ſaxo non paruæ,acclines,decliuesq;, ſcopuloſæ, atq; admodum ſquallidæ: è contra verò ſpacioſiſſima,ampliſſimaq; pratorū paſcua,numeroſa herbarum,&florum varietate referta,& ex his quidem plana quędam,atq; vmbroſa,quædam decliuia atq; aprica.Extant etiam ampliſſimorum fontium frequentes,ac limpidiſſimæ ſcaturigines,nō ſolùm in imis montis ipſius locis,ſed in medijs , atq; etiam in ſummis eiuſdem iugis,è quibus tam copioſæ emanant aquæ,vt earum potu numeroſę pecudum greges ſatis ſuperq; ſatiari queant: ad quorum ſcaturiginum fontes non gregarij paſtores modo,& ſyluani homines, verum & qui conquirendis plantis inſudant,expoſitis in gramine cibis,ſeſe refocillare ſolent,paucis adiūctis obſonijs.Prætereo,ne longior ſim,frondoſas, ac denſas fagorum,quercuum atq; ilicum ſyluas , quin etiam quaſdā caſtaniferis tantùm arboribus ſtipatas,atq; nonnullas, in quibus ſylueſtres proueniunt pinus,atq; excelſiſſimæ abietes atq; larices.Cæterum quid dicā de aeris,cœliq; varietate? Mira profecto. Siquidem qui montē circunquaq; perluſtrant, breuibus etiam interuallis , magnā aeris inęqualitatē experiuntur,adeò,vt pleriq; non modo regionem,ſed clima ſe mutaſſe opinentur. quòd hæc quidē pars exorienti Soli,illa vero Occidēti aduerſa fuerit: quædam, quę Sole torreatur,alia quę vmbras perpetuas habeat.Hic niuibus,ac glacie perpetuis ęſtate tota alget locus,ibi verò ęſtus eſt magnus.Alijs verò quibuſdā in partibus,omni ferè anni tempore vernalis quædā adeſt temperies;qua quidē locorum ac ſituum diuerſitate,fit quidem ꝙ tanta etiam plantarū varietas in hoc mōte proueniat,quanta vſquam in Italia tota reperiatur.Diſtant igitur à Verona huiuſce admirabilis montis radices viginti milibus paſſuum: ab ijs verò imis ad ſummam, quinque aut ſex milibus.Diſcedendo itaq; Verona ad montem Baldum, ſtatim extra vrbem iter eſt per campeſtrem, latiſſimamq; planitiem,vbi copioſè vireſcunt.

*Tithymalus*:
- *Characias.*
- *Paralius.*
- *Helioſcopius.*
- *Cypariſſias.*

*Pityuſa.*

Sed paulò vlterius reperiuntur.

*Paliuri genera plura, quorundam opinione deſcripta.*
*Blattaria.*
*Cotinus Plinij Roſola, vulgo dicta.*
*Geranium multorum generum.*
*Eryngium.*
*Lupinus domeſticus & ſylueſtris.*

*Anchuſæ tria genera.*
*Mille grana ab aliquibus Epipactis dicta.*
*Securidaca.*
*Dipſacus.*
*Attractylis.*
*Rubea.*
*Tlaſpi multorum generum.*
*Plantago aquatica.*
*Sium.*
*Glaucium.*
*Siſymbrum aquaticum duplex.*
*Xiphium.*
*Ocimoides.*

Interea

Interea peruenitur ad pagum quendam, qui diſtat ab vrbe quinq; milia paſſuum ſuper dextra Atheſis parte in campeſtris planitiei latere poſitus: cuius nomen multis innotuit gentibus. & præſertim Tranſalpinis militibus, qui è Germania profecti in Galliam Ciſalpinam contendunt. Buxolengus ei nomen eſt ita à viuo colle appellatus, qui totus Buxo arbore veſtitur. hinc itaq; vlterius proficiſcendo, quæ ſequuntur hic plantæ reperiuntur.

*Botrys.*
*Hypecoum Matth.*
*Amellus Vergilij.*
*Aliſma.*
*Acanthus.*
*Erithrodanum maius & minus.*
*Aſtragalus.*
*Terebinthus.*
*Abrotonum album.*
*Mahaleb.*
*Helichryſum.*
*Flammula Iouis.*
*Onoſma.*
*Berberus vulgaris.*
*Holoſtium.*
*Rhamnus tertius.*
*Spergula. i. Apparine.*
*Tragoponum flore purpureo, & luteo.*
*Bellis maior & minor.*
*Anthemis flore albo, & rubro.*
*Adonis Matthioli.*
*Cotula fœtida.*
*Aparine.*
*Gallium flore albo & luteo.*
*Alyſſum quorundam.*
*Althea.*
*Colchicum.*
*Pſeudomyagrum.*
*Lagopus.*
*Aegylops.*
*Polium alterum.*
*Lycium.*

Hinc peruenitur ad quandam meam poſſeſſiunculam, quæ Riuole (quaſi Ripa) noſtra vulgari lingua vocatur, vbi fuit antiquitus in ſummo colle Arx loci natura tunc temporis muniſſima, de qua in hiſtoria Veronenſi frequens fit mentio, cuiuſq; adhuc diruta viſuntur veſtigia, atq; ruinæ. Hic quoq; ſuos habet fines vallis Lagarina, qua iter eſt, quo Tridentum, & in Germaniam itur. Ad hanc vſq; Arcem creditur Atheſim olim perueniſſe. anteaquam fauces illæ montis hominũ induſtria diducerentur, quæ la Chiuſa vulgo dicuntur. Quoniam autem merces ratibus per Atheſim allatæ, ad hanc vſq; arcem, ad ripam tanquam in portum conuehebantur, facile locus hic Ripæ nomen adinuenit, vnde nos Riuole corrupta appellatione vulgari idiomate appellamus.

Hinc per quandam vallem iter dirigitur, frugiferis campis, & pratis, atque gelidiſſimis fontibus, vtiliſſimiſque refertiſſimam, in qua, in ipſo itinere inueniuntur ſtirpes non paucæ; quæ hæc ſunt.

*Pulſatilla Matthioli.*
*Liguſtrum.*
*Reſeda Plinij.*
*Polygala.*
*Dryopteris.*
*Polypodium.*
*Tribulus terreſtris.*
*Amellus.*
*Vincetoxicum, ſeu Aſclepias, vt quidã (volunt.*
*Alliaria.*
*Pſyllium folijs Coronopi.*
*Polemonia.*
*Olyris.*
*Lupinus ſylueſtris.*
*Chondrylla.*
*Digitalis lutea, & purpurea.*
*Cacalia.*
*Centaurea media.*
*Ageratum.*
*Ariſtolochia vtraque.*

*Galiopſis.*
*Eupatorium Dioſc.*
*Oenanthe.i.Filipendula.*
*Euphragia.*
*Heliotropium maius.*
*Ballote.*
*Populus vtraq;.*
*Alnus.*
*Periclymenum.*
*Chamæpytis.*
*Hermodactylus Meſ.*
*Stachys.*
*Lunaria odorata.*
*Draba.*
*Atriplex ſatiua & ſylueſtris.*
*Iberis.*
*Crocus ſylueſtris.*
*Frumentum Saracen.Matthioli.*
*Thymbra.*
*Elleborus niger.*
*Daphnois.*
*Bryonia.*

In poſtremo huiuſce vallis loco, pagus eſt Caprini, vbi ab imo Baldus mons incipit attolli. Quo in loco opus eſt in montem aſcenſuris, ſibi commeatum comparare, niſi eum ſecum è Verona tulerint, quinetiam de veſtimentis ſibi prouidere, ad ſuſtinendum ſi opus fuerit die quidem imbrem & ventos, nocte verò frigus: vlterius enim pagi non ſunt, vbi neceſſaria nanciſci poſſint, ſed tantum paſtorum tuguria & ſyluanorum hominum caſæ. quam ob cauſam non eſſet ab re etiam iumenta habere, quæ tentorium militare, & alia vtenſilia deferrent. Cęterùm trāſmiſſo Caprini pago, hęc in propinquis locis reperiuntur.

*Viola arboreſcens.*
*Scabioſa.*
*Morſus diaboli.*
*Conſolida Regalis.*
*Viola alba Theophr.*
*Oxys.*
*Anagallis vtraque.*
*Iaccea nigra.*
*Sideritis Achillea.*
*Mithridatica.*
*Alectorolophos, ſeu criſta galli.*
*Pes anſerinus.*
*Xanthium.*
*Symphytum maius.*
*Alopecuros.*
*Delphinum. i. flos Regius maior & minor.*
*Dictamnum album.*
*Flos Solis Matthioli.*
*Anthyllis.*

In ipſo autem aſcenſus initio, inuenitur Coronę templum Deiparę virginis dicatum: magnæ ſanè religionis, ac nō minus loci ferè inacceſſibilis natura, mirabile, quò in quibuſcunque feſtis diebus D. Mariæ virgini conſecratis, ac ſolemnibus, magna admodum hominum confluit multitudo. Cæterum cōfluentibus tranſeundum primum eſt ab vnius montis iugo in alterum per longum admodum ſubliceum pontem: deinde verò aſcendendum accliui admodū calle, adeoque anguſto, vt vix ſinguli commodè incedere valeant, quo ſæpe fit vt obuijs factis vix locus ad tranſitum ſuperſit. Ab ipſa ſolummodo natura anguſtus iſte tranſitus factus eſt in montis ipſius latere in marmore, quod vtrinque inſtar parietum ad perpēdiculum excurrit. A calle verò ipſo ad ſummum montis faſtigium tantæ altitudinis ipſum eſt latus, vt vix telum validiſſimo arcu excuſſum ſummum locum attingat: ab eodē verò ad imum, quingenti aut fortaſſe plures intercedunt paſſus. At quò iter hoc ſpectantibus terribilius eſt, proficiſcentibusq; laborioſius, tāto magis ad aſcenſum inuitat animi voluntas videndi ac perluſtrandi tā ſolitarię religionis Fanū: & quoniā in calle ipſo naſcuntur.

*Saxifraga maior Matthioli.* *Daucus Creticus.* *Corydalis, ſplit*

quibuſ-

quibuſdam dicta, atque etiam pyrethrum, non fruſtra iter illud perficitur. A
coronæ deinde templo recedendo multæ ſeſe offerunt ſtirpes, nempe.

*Palma Chriſti diuerſarum generum.*
*Chamaeleon albus.*
*Gratia Dei.*
*Conyca omne genus.*
*Seſeli Aethiopicum.*
*Myrrhis.*
*Cicuta.*
*Perfoliata.*
*Aizon multorum generum.*
*Phalaris.*
*Oxylapathum.*
*Seſamum.*
*Rhus.*
*Caſtanea.*
*Oxyacantha magna.*
*Thalictrum.*
*Caryophyllata montana Matthioli.*
*Biſtorta.*
*Egipyros.*
*Campanula Fuchſij.*
*Pecten Veneris.*
*Pes anſerinus.*
*Centaurium minus.*
*Epimedium.*
*Clymenum Matth.*
*Spina alba.*
*Virga aurea.*
*Batrachium Apulegij.*
*Gingidium.*
*Elatine.*
*Pityne Theophr.*
*Auricula muris.*
*Triticum vaccinum.*
*Seſeli Creticum.*
*Lamium Plinij.*
*Haſtula regia flore albo.*
*Hornithogalum.*
*Phyllirea.*
*Verbaſci plura genera.*
*Ophiogloſſon.*
*Sannicula Diapenſia.*
*Sanguiſorba.*
*Arum minus.*
*Seſeli Peloponenſe.*
*Phalangium copioſum.*
*Cardiaca.*
*Eruca.*
*Clymenum Plinij.*
*Tilia.*

Poſt Coronam haberi poteſt hoſpitium in pago Ferrario, à quo parum inuicem abſunt Prabazarius, Maon atq; Nouetia loca ſanè cæteris altiorib⁹ cultiora, atq, mitiora. Hinc item aſcenditur in latiſſima ac vberrima prata, fontibus pulcherrimis referta; vbi numeroſæ, ac magnæ ouium, & armentorum greges aluntur, à Maio menſe in Septembrem vſq;. Hæc inter ſpacia naſcuntur.

*Peplus.*
*Horminum ſylueſtre.*
*Trinitas.*
*Aconitum Pardalianches quorundam.*
*Solanum maius, ſeu Bella donna.*
*Aſarum.*
*Crocus martius.*
*Polygonatum anguſtifolium.*
*Prunella .i. conſolida minor.*
*Eryſimum.*
*Picris maior & minor.*
*Orchis multorum generum.*
*Antirrhinum duarum ſpecierum.*
*Tuſſilago duorum generum.*
*Bellis cæruleus.*
*Hyoſcyamus albus.*
*Phu paruum.*
*Sagitta Matthioli.*
*Onobrichis.*
*Lonchitis aſpera.*
*Sferra cauallo.*
*Seſeli peloponenſe.*
*Haſtula regia flore luteo.*
*Primula veris.*
*Ambroſia duorum generum.*
*Amellus.*
*Allium anguinum Matth.*

Per hęc itaq; prata proficiſcentes in Atilonem perueniunt, vbi à dextra vallis eſt ingens, quæ à ſummo ferè montis iugo vſque ad Atheſim profundiſſima permeat: in qua imbrium aquę, atq; fontium circum ſcaturientium excurrunt: Quæ quidẽ vallis à loco ſuperius citato, vernacula lingua, La valle de Artillon nuncupatur. Hęc itaq; ab his qui plantarum cognitione delectantur cõmemoranda, ac celebranda fuerit, ꝙ in ea cõplura præſtantiſſimarum plantarũ genera abundè proueniant, quæ nõ dixerim in Italia ſolùm, ſed fortaſſe in vniuerſa Europa vix reperirentur. Equidẽ ego hoc profectò aſſerere poſſum, me hãc in vallem non veniſſe vnquam, quin nouã aliquam pulcherrimam; nec antea viſam repererim plantam: Hic autẽ etſi plura plantarum genera ex iam cõmemoratis naſcantur, earũ tamen, ne prolixior ſim, haud iterũ meminero, verùm de his tantum ſermonem faciam, de quibus hactenus non ſcripſeram. Et ſunt hæ.

*Scordonia.*
*Piloſella.* { *Maior.* / *Minor.* / *Media.* }
*Phu minimum.*
*Gnaphalium.*
*Semperuiuum vtrunque.*
*Pulmonaria.*
*Nardus Celtica.*
*Sideritis prima.*
*Rubus Idæus.*
*Onagra.*
*Solidago Saracenica.*
*Bifolium.*
*Petaſites quorundam.*
*Sannicula Cordi.*
*Digitalis.*
*Virga ſanguinea.*
*Arbutus.*
*Clematis altera.*
*Senetium maius.*
*Senetium minus.*
*Sambucus racemoſa.*
*Sorbus torminalis.*
*Sorbus ſylueſtris Matth.*
*Aconitorũ diuerſa genera.*
*Chryſanthemum flore albo.*
*Noli me tangere.*
*Tithymalus maior.*
*Angelica.*
*Napellus flore albo.*
*Cirſium.*

*Vua vrſina.*
*Filix vtraque.*
*Tilia arbor.*
*Clynopodium.*
*Erica vtraque.*
*Meum.*
*Viola lutea.*
*Panax Chironium.*
*Saxifragia alba.*
*Diapenſia.*
*Tormentilla.*
*Taxus arbor.*
*Ariſarum.*
*Cyclaminus duorum generum.*
*Phyllirea.*
*Myrtillus Matthioli.*
*Chamæceraſus.*
*Tora.*
*Nardus montana.*
*Tragium Germanicum ſiue vuluaria.*
*Cyanus maius, & minus.*
*Dryopteris.*
*Satureia.*
*Muſcus terreſtris.*
*Herba paris.*
*Combretum Plinij.*
*Daucus cretenſis.*
*Lychnis ſylueſtris.*
*Campanula cærulea.*
*Hyſſopus Montana.*
*Coſtum amarum vulgare.*
*Phylon.*

Anti-

| | |
|---|---|
| *Antitora.* | *Napellus retiformis.* |
| *Lunaria racemoſa.* | *Sigillum Salomonis.* |
| *Betonica.* | *Carum.* |
| *Viola marianna.* | *Geniſta alpina.* |
| *Orobanche mag.* | *Dentaria.* |
| *Lucciola.* | *Martagum.* |
| *Gentianula flore purpureo.* | *Fragaria.* |
| *Luparia, aconiti ſpecies.* | *Lampſana.* |

In ſuperiori huiuſce vallis parte quædam paſtorum ſunt tuguria, vbi Veronenſis agri & Tridentini fines habentur, à quibus nõ longè abeſt Sylua ingens reſiniferarũ arborum, Tiliæ, Betulæ, Carpini, Anagyris vtriuſq;, Aquifolij atq; aliarum arborum, refertiſſima, in qua Monticolæ, ac Syluani homines reſinam ferè omnegenus, nempe Larignam, Pineam, Abiegnam, Piceamq; colligunt, quin etiam, & è Larice Agaricum. Circum haſce paſtorum attegias prata ſimiliter habentur, in quibus album Veratrum, albusq; Chamæleon, Calamintha montana, Gentiana, & Napelli genera omnia abunde proueniunt.

Dum autem hinc ad ſummum montis iugum aſcenditur, reperitur longo ſatis ſpacio Silermontanum, & Seſeli Peloponenſe. Cuius radices impoſtores quidã legitimi coſti vice ſuis in Theriacis vſurpare voluerunt Hic vera reperitur Ciſtus atque Hypociſtis. A dextra relinquuntur altiſſimæ, atq; aſperrimæ montis ſummitates quæ ab Vrſis, Lupis, Syluestribus capris & id genus feris quadrupedib. frequentãtur. Quibus in locis inter duriſſimos lapides enaſcuntur tria illa plantarum genera, de quibus quoq; ſuperius meminimus. Nempe Montana, & Celtica nardus, atq; Cretenſis daucus.

Hinc haud longè Mons diſtat, quem maiorem appellant, quòd cætera Baldi montis faſtigia excellat. in cuius ſumma parte planities eſt herboſa, nec omnino inæqualis, è qua ampliſſima ſpectatur regio. pagis & oppidis numeroſis referta. Mantuam, Ferrariam ac etiam Patauiam vſque ſeſe diffundens: Ex altera verò parte omnes citra, vltraq; Benacum oræ, à Ripæ Tridentinæ oppido, vbi Benacus ipſe Lacus initia ſumit, ad Piſcheriam vſq;, vbi ad exorientem Mintium fluuium terminatur, oculis ſubiectæ ſunt: quæ quidem amœnitate, venuſtate, pulchritudine, omniq; delitiarum genere adeo nitent, vt nihil delectabilius inueniri poſſit. Ibi enim ferè vbiq; viridaria habentur, in quibus Armenica mala, Aurantia, Limonia, & quæ Adami poma vulgus appellat, perpetua fronde virent. adeò vt toto ferè anno perpetuò vere fruantur accolæ, cùm non ſolùm odoratiſſimis floribus, ſed fructibus, hæ prætioſiſſimæ arbores onuſtæ perpetuo ferè ſpectentur. Hic ſecus itinera ſepes vbiq; ferè ſunt ex Lauris artificioſiſſimè concinnatæ, nullo ramuſculorum diſcrimine. Nec hoc mirum videri debet, cum Laurus frequentiſſima in collibus, & nemoribus ſua ſponte proueniat. cæterum & illud quoq; omnem ſuperat admirationem, odor, nempe ſuauiſſimus, qui afflatu quodam mirabili ab Aurantiorum & Myrti floribus ſpirat. Si quidem hæc Heſperidum plantę abſq; multa cultorum opera in agris & collibus propagantur, & in eam ſe attollunt proceritatem, qua alijs in locis, & Salices, & Vlmi prouenire ſolent. De viridariorum horum prouentu ac vbertate, vix quiſpiam crediderit, quippe ex vno tantum terræ iugero Medico-

rum Malorũ conſito, centum, & quinquaginta, & quandoq; plures ducatos coloni annuatim recipiunt. Succurit nunc dum de his verba facio, me pluries non ſine admiratione obſeruaſſe in hoc ipſo agro viniferas vites, numeroſis admodum oleis ipſiſque pulcherrimis, & ſpecioſis, adalligatas, & ſub ipſis copioſas creſcere ſegetes. adeò vt vno tantum agro, frumentum, oleum, & vinum recipiant. Hic fontes multiplices inſpicias cryſtalli inſtar limpidos, & riuulos labentes, qui per pagos illos grato murmure excurrunt; propè quos ædificia magni ſanè vſus erecta ſunt tum ad frumenta molenda, oleum exprimendum chartamque parandam, tum ad ferrum excoquendum. & malleis ducendum effigiandumq;. cuius metalla his in locis copioſa habentur, atque, vt vno verbo dicam, ora Benaci lacus, quantulacunque ſit, cæteras Ciſalpinæ Galliæ oras amœnitate, prouentu, pulchritudine, ac omni delitiarum genere facilè antecellit: Sed hæc obiter dicta velim, vt plantarum cognoſcendarum ſtudioſos, qui ad montem Baldum videndum proficiſcuntur, ad hanc quoque fertiliſſimam, amœniſſimamque oram inuiſendam inuitarem. Quod ſi fecerint, non ſolùm magna cum voluptate dies noctesq; tranſigere poterunt, ſed prompta illis erit occaſio tres ſingulares videndi plantas. Etenim in Turri vallecula, citra lacum poſita Mandragoram copioſam inuenient: Ad Diuum verò Vigilium montem habebunt, cuius totum latus Rhododendris ſtipatum cernitur, floribus tum albis, tum rubris, admodumque ſpecioſis. Quin etiam in minoritarum monachorum inſula, floridam, ac pulcherrimam videbunt Palmam, quæ quidem hac in noſtra regione arbor ſpectatu rara admodum eſt. Sed vt iam ad rem propoſitam redeamus. In ipſo itaque monte maiori, de quo dicebamus naſcuntur.

*Lunaria racemoſa.*
*Pſeudo doronicum.*
*Sannicula variæ ſpecies.*
*Leontopodium Matthioli.*
*Geranium argenteum.*
*Alchimilla argentea.*
*Polium primum.*
*Orobanche valde magnum.*
*Auricula muris.*
*Calamintha.*
*Aquileia fuſca.*
*Cynocrambe.*
*Cneorum Matthioli.*
